

77A.133  
120

X 231 6809

Ph  
914

# ACTVM ORATORIVM

SVB  
AVSPICIVM HVIVS ANNI  
IN  
SVPERIORE AVDITORIO  
GYMNASII HENNEBERGICI

HABENDVM  
INDICIT

DE  
CVLTV ARBORVM APVD  
PRISCOS GERMANOS

DISSERENS  
GEORGIVS ERNESTVS WALCHIVS  
RECTOR.



SCHLEVSVNGAE, TYPIS FLEISCHERIANIS.





**C**ultu diuino, quo Judaei pariter ac Graeci, arbores, integrasque filuas quondam profequuti fuerunt, in superioribus programmatibus, ea, qua decet, breuitate, ob oculos posito, haec in materia iam iam pergam, expositurus, priscos Germanos prae reliquis gentibus, arbores filuasque magni fecisse et diuino cultu coluisse. Non est, cur miremur, Germanos omnia ipsorum sacra in filuis et sub arboribus peregisse; siquidem templa atque aedes sacrae apud illos minime erant receptae, quin potius illis plane carebant. Hoc illos impellebat, alium locum, peragendis sacris aptum, eligere, quem in nemoribus, sub proceris, spatiosis et opacis arboribus inuenisse, credebant. Causam, ob quam nulla templa in honorem Deorum extruxerunt, prodit Tacitus de moribus Germ. cap. 9. ita scribens: *Ceterum nec cohibere parietibus deos, neque in nullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine coelestium arbitratur.* De Sicambriis, Germaniae populo, Trithemius de origine Francorum scribit: *Vsque ad illud tempus Sicambri non habuerunt templa Deorum, sed sub quercubus litabant et consultabant.* Qua in re Germani sequuti sunt Persas, de quibus Cicero libr. II. de legibus: *Nec sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent Deos: quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset et domus.* Vnicum tantum templum Germanos habuisse, legimus, nempe templum Tanfanae, cuius Tacitus libr. I. c. 51. *Annal.* mentionem facit: *profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus (Marsis) templum, quod Tanfanae vocabant, solo aequantur.* Hoc Tanfanae templum in luco quodam inter Amisiam et Luppian in Westphalia exstructum erat, vti Cluuerius in Germania antiqu. libr. I. c. ii. et 47. scribit. Templum hoc vetustatem non tulit: imperatore enim Augusto, suadentibus Romanis, qui et consilio et opera Germanis in extruendo hoc templo, praesto fuerunt, condebatur, a Caesare Germanico vero, imperante Tiberio, anno 16. post natum Christum, diruebatur. vid. Cluuerium l. c. p. 282. Non templis solum Germani carebant, sed et deorum simulacris statuisque, quia diis indignum putabant, illos in vllam humani oris speciem assimilare, vt verbis Taciti l. c. vtar. Varii quidem, in primis Julius Caesar, Germanis simulacra vindicant, sed neutiquam erant manu artificis elaborata, sed vel truncus, vel quercus Diis sacrata, simulacri nomine insigniebatur. Testem habeo *Maximum Tyrium dissert. XXXIX.* ita scribentem: *Κελδοι σιβασι μὲν Δία, αργαλιῶν δὲ Δίος Κελδικῶν Ὀψηθι δεῦρ. i. e. Celtae Iouem quidem colunt, simulacrum vero Iouis Celticum est alia quercus.* Vt vero Germani, templis atque deorum simulacris destituti, Diis cultum exhibere, rebusque sacris vacare possent, locum quandam, ab vsu profano remotum atque seiunctum, eligebant, eumque sacris muneribus dedicabant. Nemora prae reliquis locis illis arridebant, ea in primis, quae densis, proceris frondentibusque arboribus confita erant, ita tamen, vt querceta aliis praeferrerent. Ab his omnes homines profani arcebantur, neminiq; permiffum erat, arborem quandam laedere, lignum conligere aut pecora in iis pascere, sed quanta quanta erant, Diis rebusque sacris consecrabantur. Priscos Germanos suos lucos, i. e. nemora diis consecrata, habuisse, illosque summo cultu et honore adfessisse, nemo, nisi antiquitatum germanicarum plane expers, inficias ibit. Instar omnium prodeat Tacitus de moribus Germ. c. 9. ita scribens: *Lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reuerentia vident, et cap. 43. Apud Nauarhalos antiquae religionis lucus ostenditur.* Meminit etiam huius religiosi siluarum cultus apud Germanos recepti, appositae tamen et non sine aceto, *Claudianus de laudibus Stiliconis libr. I. v. 228. seqq.*

*Vt procul Hercyniae per vasta silentia siluae  
 Venari tuto liceat, lucosque vetusta  
 Religione truces, et robora Numinis instar  
 Barbarici nostrae feriant impune bipennes.*

Hos lucos Diis consecrabant, illosque horum nominibus insigniebant. Prae reliquis vero apud Germanos insignis erat lucus Hercules, de quo Tacitus *Annal.*



Annal. II. c. 12. mentionem facit. Et hic ritus, Diis lucos consecrandi, diu in Germania inualuit. *Io. Auentinus enim Annal. Boiorum libr. III. n. 23. p. 219. edit. Gundling. scribit: Theodo (dux Boiorum) lucum et montem, proxime Reginoburgium, Danubio imminentem, more maiorum, Alemanno Herculi victoris, et bellorum praefidi dedicauit, eiusque nomine adpellari iussit: ibi sacris, ritu patrio diuis operari praecepit.* Eiusmodi in lucis Druides, Gallorum atque Germanorum sacerdotes, sedes suas figebant, sacra, in primis sacrificia in illis peragentes. *Iulius Caesar quidem libr. VI. c. 21. de B. G. adserit: Germani neque Druides habent, qui rebus diuinis praesint, neque sacrificiis studem.* Sed Cluuerius nos contrarium docet, plurimis adserens, Germanos non tantum sacerdotes, quibus sacrorum cura credita fuisset, habuisse, sed et hos uocatos fuisse Druides. Germanos sacrificiis non studuisse, omnes fere scriptores reclamant, siquidem, illos non fruges solum et pecora, sed et homines diis suis contulisse, constat. Sic enim *Tacitus de moribus Germ. c. 9. scribit: Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem et Martem concessis animalibus placant: pars Sueuorum et Ipsi sacrificat.* et cap. 39. *Stato tempore in siluam coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia.* Et haec dira consuetudo, homines maectandi diisque immolandi, etiam inferiori aeuo, apud Germanos uiguit. *Procopius libro II. de bello Gothico testatur, Francos, etsi christianam religionem profiterentur, humanis tamen ad suum aeuum hostiis ufos fuisse.* Quod uero Germani Diis suis sacrificia uictimasque obrulerint, pluribus adstruit *Hachenbergius in Germania media, Diff. VIII. §. 29. p. 287. sqq.* Iulium Caesarem, qui neuiquam totam Germaniam peragrauit, sed tantum ad loca, Rhenum contingentia, peruenit, multi mores, ritus et facta Germanorum utique latere potuerunt. Non uero sacra solum, sed et alia maioris momenti negotia in siluis Diis sacratris peragebantur. Germani enim de grauiori quadam re deliberaturi in eiusmodi siluis, legationibus, teste Tacito l. c. cap. 39. coiuerunt, et sacris rite peractis, salutem reipublicae promouere studuerunt. Sunt, qui praeficos Germanos, omnium litterarum artiumque plane expertes, sibi fingunt, auctoritate *Taciti*, cuius uerba sinistre interpretantur, nitentes, de moribus *Germ. cap. 19. scribentis: Litterarum secreta uiri pariter ac feminae ignorant.* Sed eiusmodi homines grauiterrare, maiorumque nostrorum fama maculam adspargere haud meritam, facile, si temporis chartaeque ratio permitteret, probari posset; interim hoc dixisse sufficit, Druides, quorum humeris non sacrorum solum, sed et inuenturis litteris artibusque imbuendae cura, imposita erat, scholas suas in lucis, siue nemoribus Diis sacratris, aperuisse. Supersedeo, uerba *Iulii Caesaris libr. VI. c. 13. §. 4. seqq.* heic transcribere, ex quibus cognoscere poteris, quibusnam in artibus disciplinisque Druides discipulos suos instituerint. Quod uero scholae Germanorum in siluis fuerint, testem habeo *Melam libr. III. c. 2. p. 37.: Druides docuerunt nobilissimos gentis clam et diu uicenis annis in specu aut in abditis saltibus.* Lucetiam equis quibusdam publice alendis, ad auspicia ac praesagia ab illis experienda, Germani enim equos credebant Deorum conscios, inseruiebant. Hanc superstitionem, quam Graeci *πρωτομυστιαν* uocant, malo Taciti, quem meis exprimero uerbis: ita uero ille *de mor. Germ. cap. 10. inquit: Proprium gentis, equorum quoque praesagia ac mouitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdotes ac rex uel princeps ciuitatis comitantur, humitusque ac fremitus obseruant. Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes.* Quantum cultum, quantumque reuerentiam Germani hisce lucis exhibuerint, uel inde patet, quod illos ingredi, nemini, nisi uinculis ligato, permissum fuerit, ut se Diis, in luco habitantibus, minorem exhiberet, potestatemque numinis prae se ferret. Si forte quis in luco prolapsus erat, atrolli et insurgere, haud licitum erat, quin potius illi necesse erat, per humum euolui. uide *Tacitum l. c. cap. 39.* Neuiquam uero omnes et singulas arbores ueneratione cultuque dignas habebant Germani, sed eas tantum, quae proceritate, aetate et magnitudine reliquas superabant,




FK Th 9 14

et has arbores, cultui sacro destinatas vocabant *sacriuas*, vti ex legibus Longobardicis libr. II. tit. 38. adparet. Primus inter *sacriuas* locus omni iure tribuitur quercubus, quia hae prae reliquis arboribus crassae, annosae et procerae sunt. Quanta religione quantaque reuerentia Germani quercus prosequuti fuerint, docet nos *Auentinus*, l. c. ita scribens: *Nihil sacrius quercu maioris nostri habere: nulla sacra sine huius arboris fronde consecrere: sacrificiis epulisque rite sub hac arbore perpetratis Deos adprecari sunt. Viscum eius et coelo missum putarunt, signumque esse a Deo electae arboris: omnia sanantem suo vocabulo adpellantes: focunditatem, eo potu dare cuiusque animalium sterili arbitri sunt etc.* Et haec opinio de sanctitate et praestantia quercuum multa per secula animis Germanorum infudit, vixque euelli potuit. Idem enim *Auentinus* narrat, *Theodoneum*, *Boiorum* ducem, duas prodigiosae magnitudinis quercus, gentili ceremonia Diis consecrasse, populumque frequentem coiuuisse, victimasque immolasse. *Boii*, etsi religionem christianam amplexi erant, tamen dubitabant, memoriam harum quercuum penitus delere, quin potius in earum perpetuam memoriam coenobium condebant, illud *Altaich*, i. e. veterem quercum adpellantes. *Helmoltus Chron. Slav. l. 38.* adrefatur, se vidisse arbores vetustissimas, sacrasque quercus terrae *illius Deo Prouen* dicatas. Haec sacras quercus latissimo atrio et ligneo sepimento circumdederunt, non profani homines aut ferae tactu suo illas profanarent: imo, vel linteis vel fericeis velamentis illas tegebant. *Abietes* etiam a Germanis religiose cultu esse adfectas, multi conligunt et nomine *Deae Tanfae*, quam nomen suum a voce *Tan*, i. e. abiete, ducere credunt. *Pinus* etiam inter *sacriuas* Germanorum referenda est. *Sulpitius* enim *Seuerus in vita Martini cap. 10.* refert, huncce Germanorum apostolum pinum quandam sacram excidi curasse, Francosque eam ob causam magnum excitasse tumultum. Sub hisce arboribus sacris *Druides* aras extruebant, in hisque victimas sacrificabant. *Druides* tuguria sua sub quercubus habebant, in quibus perpetuo versabantur; hinc non est, vt dubitemus, hocce sacerdotum a vocabulo graeco *δρυς*, quercu, nomen suum accepisse, graeco enim idiomate *δρυδας* vocantur. *Aras* frondibus earum arborum, quae Diis sacratae erant, ornabant. conf. *Beati Rhenani res germanicas p. 473.*; arbores vero ipsas, sub quibus hostiae mactabantur, vitis vincebant luminaria, arboribus adfixa, accendebant, arbores vino spargebant atque nidore thuris lultrabant. *Flora* de ritibus, in offerendis victimis vstratis, suppeditat *Hachenbergius l. c. §. 29. p. 285.* tempus enim prohibet, illos kufius explicare. Hoc vnicum adhuc adiciam, hancce *deuotionem* tantas in animis Germanorum egisse radices, vt vix euelli poterit, etsi ad Christum conuersi fuerint. Hinc *Caroli M. Capitularia* et variorum conciliorum canones, eam extirpari iubent; neuiquam tamen ita deleri potuit, vt non reuerentia arborum remanserit.


Praeclens temporis ratio, quo iterum, Deo duce et auspice, nouum ingressi sumus annum, admonet *Gymnasium* Nutritum, vt non solum pro beneficiis, a benignissimo Numine, Potentissimo *Serenissimis*que Nutritoribus, Patronis et *Fauoribus*, superiore anno acceptis, humillimas, atque decentes agar gratias, sed et pro salute omnium, quorum gratia, patrocinio atque amore nititur, ardentissimas ad Deum fundat preces. Officio huic rite vt satisfaciat, quatuor multae spei luenes, qui dotes a supremo numine acceptas, in conligendis verae eruditionis thesauris, hucusque bene conlocarunt, crastina die prodibunt, totiusque *Gymnasii* nomine hocce officio fungentur. *Potentissimo Sarmatum Regi et Saxoniae Electori, Domino et patriae patri nostro longe clementissimo, totique regiae familiae*, omnia fausta, prospera et felicia fata, ex animo deuotissimo adprecabitur *Eliaz Valentinus Merkel, Smalcaldensis*, oratione latina de *summo bono*. Vt *Serenissimus Dux Meinongensis, Dominus et Director noster clementissimus*, vt et *Serenissimus Princeps hereditarius Vinariensis, Dominus et Nutritur noster clementissimus*, etiam hoc anno omni salute et prosperitate fruantur, summum numerum ardentissimis defatigabit precibus *Hannibal Guil. Henr. Francke, Schlabach*. oratione teutonica de *summo bono Aristotelis*. Vt *inlustre Regimen Hemebergicum*, omnesque, quibus patriae salus curae vultu esse, Deus omni bono et prosperitate accumulare, omnibusque eorum agionibus bene velite dicere, omni pietate precabitur *Io Kilianus Weisleder, Imenoi*. oratione romana de *summo bono Stoicorum*. Pro salute et incolunitate ordinum ecclesiastici, scholastici et oeconomici pia et ardentia vota concipiet *Henr. Mich. Leo, Salzburg*. carmine germanico de *summo bono Epicuri*.

Vos vero, **MAECENATES, PATRONI, atque FAVTORES** ea, qua decet, pietate et obseruantia rogo obtestorque, vt crastino die, hora nona audita, in superiore *Gymnasii* nostri auditorio, frequentes adesse he dedignemini; quin potius, qua Vestra in *Misus* nostras est gratia atque fauor, actum huncce Vestra praefantia eo splendidiorem reddatis. *Schteufungae d. 25. Ian. MDCCLI*



no





ACTVM  
ORATORIVM


SVB  
AVSPICIVM HVIVS ANNI  
IN  
SVPERIORE AVDITORIO  
GYMNASII HENNEBERGICI

HABENDVM

DE  
CVLTV ARBORVM APVD  
PRISCOS GERMANOS  
DISSERENS  
GEORGIVS ERNESTVS WALCHIVS  
RECTOR.



SCHLESVNGAE, TYPIS FLEISCHERIANIS.



FK. 133  
120

X 231 6809

Ph  
914

